


aduersus Scripturam sacram et verba diuina, fanaticam quandam barbariem, et artem somniandi ac ludendi in Scripturis inducere tentant: sed nec temporis angustiae fuerunt eam orationem suscipere, et alio tempore ac loco utrumque exequi latius dabitur. Itaque finem faciam praefandi, cum verissimo voto, ut per hunc libellum quamplurimis Scripturarum sacrarum recte atque ordine cognoscendarum et scrutandarum studium incendatur, iisque haec qualiscunque opera mea ad bene intelligendum et cognoscendum quam plurimum profit. Scripsi Lipsiae in mercatu autumnali a. 1761.



ADMO.